



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

10. Foßiles pisces à Seneca non rectè esse negatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

rò hac arefacta, adhuc in humore persene-  
rant, quemadmodum animalia, quæ in late-  
bris remorantur. Cùm autem eos effodiunt,  
antequam aquarum successio eueniat, motu  
demum corporum ipsos viuere approbant. Ac  
rursus seq. cap. Apud Paphlagoniam, effossos  
ex altis scrobibus pisces oriri afferunt, virtute  
quidem præstantissimos, in locis, ubi nullæ pro-  
pè restagnant aquæ, sola tellure vitam illis sup-  
petente. Eadem prorsus retulit Plinius: ea-  
dem alij attigerunt.

## §. X.

Foſiles pisces à Seneca non rectè eſſe ne-  
gatos.

Seneca tamen hæc, vt fabulosa, videtur  
ridere, dum scribit: *Multa tibi, hoc loco, in  
mentem venere, quæ urbanè, in re incredibili,*  
fabuloseq; dicas: *Non cum retibus aliquem,*  
*aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum.*

Senec.  
Natural.  
qq. lib. 3.  
c. 17.

*Speculo, ut aliquis in mari venetur. Quid  
ej; autem, quare pisces in terrā non transeant,  
si nos maria transimus? Permutabimus sedes.*  
Sunt & argumenta, quæ pisces hos tol-  
lunt è medio, vt non nemo arbitratur.

1. *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per  
terras penetrent?* 2. *Cùm nullum animal ex-  
trasum viuere posſit elementum, ad longiu-  
sculum*

Francis;  
Ferd de  
Corduba;  
in Didac.  
cap. xi.

sculum tempus, quomodo illi pisces naturam suam exuant, ut extra aquas viuant? 3.  
Quia credibile est, pisces respirare, qua via aer ad eos ingreditur, ut eos refrigeret? Responderi potest, Senecæ rem hanc incredibilem fuisse visam & fabulosam, alijs autem compluribus veram. Vni neganti centum testes opponuntur, cui credas? Quin & ipsum Senecam Senecæ obijcio, qui si non fossiles, saltem subterraneos pisces reperiri ipse affirmat. Sed, ut ad propositum reuertar, ait, accipe argumentum magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem fœdo situ piscium. Si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cùm in Caria, circa Myndum urbem talis exilisset vnda, periēre, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto, ante eum diem, calo nouus amnis ostendit. Nec id mirum, erant enim pinguis, & differta, ut ex longo otio corpora; ceterū inexcitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Quid si hæc sub terris vnda fuisset exsiccata, nonnè pisces inibi vel viui, vel mortui mansissent?

**Senec.**  
**Nat. qq.**  
**l.3. c. 19.**

§. XI.